

F.K. 64

4

IV, 4

Zd
2765

X 2054088

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
Ad deductionem funebrem

In honorem
NOBILISSIMÆ FOEMINÆ
CHRISTINÆ
natæ **MAYERIÆ,**
DN. FRIEDERICI PHILIPPI,
in Jure Utroque Doctoris, in Facultate Juridica
Assessoris, & Advocati Consultissimi,
Hodie I. Junii M DC XCVII,
hora III, instituendam
Cives suos invitat.





A & Ω!



Diem Jovis proximum post Dominicum SS. Trinitatis Romana Ecclesia, ea rituum prolixitate ac pompa, quanta nullum alium, toto anno, festum agit. Hostia consecrata per Urbes, Vicos, Pagos, Agros circumgestatur, a populo flexis genibus, immo etiam provolutione corporum, & percussione pectorum adoratur. Viae ac plateae, per quas pompa procedit, mirifice ornantur: solum odoribus conspergitur, floribus sternitur, domorum parietes tapetibus pretiosissimis & peristromatis vestiuntur, pegmata auro, argento, geminis lucentia, certis intervallis disponuntur, ut Numen circumgestatum subinde interquiescat. Praecedunt anteludia, uti loquitur Polydorus Vergilius de Inventoribus Rerum lib. 6. cap. 11. hoc est, oblectationes ludicae, in quibus Prophetae repraesentantur, alati pueri concinunt, chorus inducitur foeminarum. Hic Davidem agit, ille Salomonem gerit, alii Reginas fingunt, alij Venatores ludunt, Simiam vel Jumentum simul inducentes, denique in hoc ludicro apparatu multijugae comparent historiae antiquae. Praeterea Sacerdotes vel Laici Divorum Personas agunt, eorum imagines aut reliquias ferentes. Longi Sacerdotum linteis amictibus vestitorum, Monachorum, aliorumque Clericorum ordines, tedas cereas etiam gestantes, hostiam antecedunt, sequuntur Laici, Principes, nobiles, plebeji, senes, juvenes, viri, foeminae. Omnia musicis omnis generis cantibus, & horrendo quoque tormentorum & bombardarum tonitru perstreperunt. Festum hoc corporis Christi hodie, sed mutilate usurpatur. Etenim Urbanus IV. & Clemens V. Pontifices Romani, in Bullis suis, celebrationem per totum Christianum orbem jubentibus, Festum Corporis & Sanguinis Christi nominarunt; & in Responsorio Festi hujus cani solet: Omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Eadem mutilatione Germani dicunt, den heiligen Fronleichnamstag, a veteri Germanico vocabulo Fron, quod idem est, ac praestans, eximium, quasi esset, des herrlichen, und köstlichen Leichnam Christi Tag. Inde quoque in templis cathedralibus praecipuum altare, Fronaltar cognominatur. Ita Hospinianus de Festis Christianorum, fol. 91. b & Johannes Zwinger S. Theol. D. & Professor in Academia Basiliensi, qui Tractatum de Festo Corporis Christi, anno MDCLXXXV. edidit, voluerunt. Aliis placet Fron deducere a Frauen, ita ut Fronleichnam significet den Leichnam, der von unser lieben Frauen, oder von der Jungfrau Marien kommen. Quorsum alludat cantilena: Durch deinen heiligen Leichnam, der von deiner Mutter Maria kam. Juxta quos Fronaltar, princeps altare est, Mariae a Pontificiis sacratum. Si originem Festivitatibus quaerimus, a foeminis habere accipiemus. Juliana Virgo, Retinnae in Agro Leodiensi Anno 1193. nata, & juxta Leodium in Hospitali Leprosorum habitans, precibus ad DEUM tanta cum devotione semper intenta fuisse fertur, ut crebro in caelum per mentis excessum fuerit rapta, & Spiritu Prophetico ipsas hominum cogitationes prodiderit. Ei adhuc adolescenti, Anno aetatis sexto decimo, post natum Christum 1208, inter orandum observata fuit Luna illustri luce splendens, sed quasi orbe fracto, linea per diametrum obscura deformis: hocque

23

hocque visum turbavit virginis animum, eo quidem magis, quod secundo iteratum, tertioque ac saepius semper preces ad Deum fundenti objiceretur. Tandem Anno Christi 1210. Julianæ decimo octavo, instantibus precibus a DEO obtinuit, & divinitus in somnio didicit, Sponsam Christi, militantem Christianorum Ecclesiam, illustri Lunæ globo significari, cui tamen ad splendorem integrum, solemne quoddam festum deesset, quod posthac cæteris addi DEUS statuisset; velle autem DEUM, ut prima augustissimæ & sacrosanctæ Eucharistiæ origo non eo tantum die, qui ab ea quidem Cænæ nomen habeat, recolendis tamen aliis occupetur mysteriis, sed alio quodam proprio per orbem Christianum singulari cultu in posterum celebretur. Itaque fanciendi hujus Festi primam nunciam & autorem se designatam Julianæ constitit. Hoc munus ipsa, pro sua modestia summa per viginti integros annos assiduis ad DEUM precibus declinavit, sed nihil obtinuit: stetit enim immotum divinæ voluntatis decretum, id ab ipsa primum orbi proponendum, ab aliis vero in Ecclesia conspicuis hominibus perficiendum esse. Qua de causa Virgo anno vitæ suæ trigesimo octavo, Christi 1230. communicavit cum Eva Virgine Leodiensi reclusa, & cum Isabella, Fœmina Hojensi. Illi ad intercessionem Julianæ tam ardens novi Festi desiderium a DEO fuit injectum, ut omnis ejus dilatio incredibilem ei crearet molestiam: Hæc Leodii Evam visitatura, cum in Æde S. Martini, flexis genibus, cruci affixum Christum veneraretur, vidit in Ecstasi cælum veluti discedere, & omnium cœlestium ordinum Exercitus coram DEO comparere, audivitque illos ab ipso cernuis precibus flagitare, ut tandem ad confirmandam Ecclesiæ militantis fidem, periclitanti Mundo hanc festivitatem patefacere festinaret, oraculumque ex adyto divino precibus annuere & affirmare, brevi id in orbe Christiano proponendum promulgandumque esse festum. Reddita sibi Isabella ex flagranti cœlitum desiderio flammam concepit, qua affirmavit identidem, etiamsi orbis universus contra niteretur, se tamen omnibus viribus pro solenni festo indicendo certaturam esse. Istis divini decreti testibus stimulata Juliana, Viris in Ecclesia autoritate valentibus revelationes divinas sibi factas aperuit, in quibus aliqui spreverunt, aliqui approbarunt. In his Robertus Episcopus Leodiensis festivitatem Corporis Christi in sua dicecesi primus instituit Anno Christi 1246. quam postea Legati Pontificii Leodii celebrari visam comprobarunt & Pontifices Romani supra memorati ab Ecclesia ubique celebrandam indixerunt, tandem Synodus Tridentina Sess. 13. cap. 5. & canone VI. sub pœna anathematis sanxit. Amplam ergo & immortalem nominum suorum celebritatem laudemque fœminæ illæ Festi nunciæ in Romana Ecclesia assecutæ sunt. Verum enim vero, visiones earundem Pontificem Romanum eo adducere non debuerunt, ut festum hoc institueret. Nam si fuerunt aliquæ, ac non prorsus confictæ sunt a superstitionis mentibus, a Satana transformato in Angelum lucis, 2. Cor. II, 14. immixtæ facile agnosci poterant, cum superstitionem & idololatriam, vero DEI cultui, in sacris Pandectis præscripto repugnantem, exigerent. Qua de causa nos infausta illa nomina fœminea Ecclesiæ Christi judicamus, quibus fides habitæ tanta est, ut idololatria claustris templorum exiret, & in luce palamque per orbem Christianum triumphum ageret, quique eandem committere una detrectent, hæretici censerentur, ad eam vi compellerentur, aut male mulctarentur. Contra fœminas in Ecclesia orthodoxa natas, educatas, in precibus ac verbi divini lectione assiduas, DEUM secundum sanctam voluntatem ipsius colentes, Sacræ cænæ usu juxta institutionem Christi se delectantes, castas ac pudicas, maritorum amantes, liberorum educationi intentas, in re familiari solertes, felicissimas, ac in fide in Christum ex hac vita decedentes, beatissimas recte prædicamus. In quarum numero inclutam, Exequiarum die, nominamus laudamusque Dominam CHRISTINAM, Nobilissimi Consultissimique Viri, Domini FRIEDERICI PHILIPPI, in Jure utroque Doctoris, in Facultate Juridica Assessoris, & Advocati conjugem hæctenus charissimam. Nata est in hac urbe die XVII. Augusti Anno Christiano MDCXLII. ex nobili progenie. Habuit enim Patrem Jacobum Mayerum, Senatorem Civitatis Seniores, Ædilem, Templi & Scholæ Nicolaitanæ Antislitem Spectatissimum, Matrem Catharinam Elisabetham, Jacobi Gribneri, Senatoris & Mercatoris nominatissimi filiam; Avum paternum, Friedericum Mayerum, Hæreditarium in Plausfig, Jctum & Scabinatus Electoralis Assessorem, Civitatisque Consulem, Aviam maternam Magdalenam, Simone Simonio, Luca Italo, Medicinæ Doctore, Professore Academix hujus, Romani Imperatoris Rudolphi II. Regis Poloniae Stephani Batorei, & Saxonix Electoris, AUGUSTI, quorum gloriosissima est memoria, Archiatro felicissimo, progenitam: Avum maternum, Jacobum Grieb-

24
Ed 2765 FK

nerum ante laudatum. Aviam maternam Elifabetham, Andreæ Holtzmulleri Civis & Mercatoris Sebolem; Proavum paternum Ulricum Mayerum, Virum Senatoria & Ædilitia dignitate honorabilem, Proaviam Margaretham, Jacobi Griebneri, Senatoris & Mercatoris Berolinensis conjugem: Proavum maternum, Jacobum Griebnerum, Scabinatus Electoralis Assessorem & Consulem Civitatis bene meritum; Proaviam Catharinam, a D. Georgio Cracovio, Jcto & Serenissimi Augusti, Principis Electoris Saxonie & Burgravii Magdeburgi, Consiliario Intimo, ex conjuge Sara, Theologi Wittebergenfis D. Johannis Bugenhagii Pomerani filia progenitam. Fuit is Bugenhagius indefessus & imperterritus in Reformationis negotio parastata B. Lutheri, & vere Germanie Evangelista, ut vocat Melchior Adamus in Vita ejus. Nostram autem teneram non solum DEO per baptismum consecrarunt Parentes, sed etiam sub omni pietatis, virtutum fœminearum, morumque bonorum culta feliciter educarunt. Istis decoram Virginem D. Philippi ambivit, & consensu Parentum d. I. Jun. Anno MDCIXXIX. in matrimonium accepit. Peperit conjux marito duos filios Jacobum Fridericum, Legum Studiosum, & Johannem Augustum, bonis literis deditum, & filiam Catharinam Elifabetham. Atque ut hæc in beata vita matri suæ lætissima occurrit, ita illi in misera ista tristissimi optimæ matris obitum deflent, & funus comitantur. Cum marito pacatam & amicam peregit vitam, prompta ejus arbitrio semper vivere, privatasque facultates in commodum familie fidelissime curare, liberos ad probitatem, cæterasque virtutes summo studio remittere: quibus accessit prolixa bene merendi voluntas, tam de vicinis, quam uno quovis, munifica erga pauperes liberalitas. Pontifices admodum liberales se exhibuerunt Indulgentias largiendo iis, qui Festum Corporis Christi celebrassent. Earum summam Pelbartus de Themeswar, in Pomerio Sermonum de Sanctis, Parte æstivali Sermone II. de Corpore Christi, circa fin. ita collegit; Summi Pontifices magnas indulgentias largiti sunt, pro die hodierna, ad reverendum hoc Sacramentum, ut patet per Bullas Martini V. Urbani IV. Clementis & Eugenii IV. Recolligendo siquidem in summa, Interestibus primis vel secundis Vesperis, vel Missæ, vel Matutino, pro singulis 400. dierum, aliis autem horis, pro singulis 160. dierum, item infra Octavam interestibus, pro singulis diebus Octavarum 400. insimul dierum indulgentias concesserunt. Item illis, qui communicant in ipso die Corporis Christi, & similiter, qui Missam pro pace Ecclesie dicunt, 400. dierum, item dum ad infirmum portatur, vel alias cum processione sequentibus, cum luminaribus 200. sine luminaribus 100. dierum indulgentias concesserunt. O ergo Homo pensa, quantum Thesaurum poteris aggregare per talem reverentiam Eucharistie, ut sis sollicitus ad salutis tue fructum &c. Hæc Monachus inficetus Orator garrit. Nobis constat has indulgentias nil esse nisi imposturas, quas ante Lutherum, tum viri docti pique haut pauci, tum Ecclesie quoque aliqua Romano Clero exprobrarunt, & qui ex ipsis Papistis antiquioribus mollius locuti sunt, piarum fraudum, & doli non mali nomine, quo plebs officioso errore, ad pietatem trahatur, excusarunt. Nostra fœmina ex verbo DEI, quod in conventibus publicis diligenter audiebat, & domi studiose legebat, recte instituta, quando agebat pœnitentiam, quandoque post eam corpus & Sanguinem Christi accipiebat, certissima vivebat, sibi omnia peccata, pœnasque omnes ipsorum propter Christum a DEO condonatas esse. Quæ fiducia in morbo morteque ipsam valide erexit. Die XIX. Maji pleuritidem sensit cum febre acuta: quia autem mox ita infirmabatur corpore, ut per tussim nihil ejicere valeret, nec medicamenta ideo data quicquam efficerent, appetitus prostratio, anxietas præcordiorum, difficultas spirandi accesserunt, quæ somnum & quietem impediverunt. Itaque vires deficere sentiens viaticum illud sanctissimum sumsit, ac instructa optime ad discessum ex hac vita, die XXIX. Maji, hora IX. vespertina, inter preces placide Spiritum emisit, annum ætatis LIV. supergressa mensibus IX. diebus XII. Anima Angelorum ministerio ad Abrahæ sinum devoluta, cum Angelis Sanctus, Sanctus, ingeminat, debitaque laudum munera Altissimo refert. Corpus in cineres ut abeat, sepulchro hodie hora III. pomeridiana imponendum est. Cui deductioni, ut cives Academici, in mariti vidui mœstissimi solatium, ac honorem familie nobilissimæ frequentes compareant, funusque instaurent, volumus ac mandamus. P. P. die I. Junii Anno Christiano M DC XCVII.

LIPSIÆ, Literis KRUGERIANIS.

F.R. 64

IV, 4

Zd
2765

4

RECT
 UNIVERSITATIS
 Ad deductionem
 In honore
 NOBILISSIMÆ
 CHRIS
 natae MAY
 DN. FRIEDERIC
 in Jure Utroque Doctoris,
 Assessoris, & Advocat
 Hodie I. Junii M
 hora III, instit
 Cives suos

